

OFFO BRISGAUDIAE DOMINVS.



Offo ex regio sanguine Anglosaxonum prognatus, qui prius Britanniam occuparant, Christianus factus, in Germaniam profectus est, ut homines ad Christum perduceret, & ad uitæ innocentiam suo exemplo prouocaret. Itaq; secundum Rhenum ascendens in Brisgaudiam peruenit, atque suis uirtutibus effecit, ut magnam autoritatem apud Austrasiæ reges acquisierit, qui etiam ipsum ibidem dominum constituerunt. Ergo Offo ad Kintzgam fluum arcem condidit, atque Offonisburgum uocauit. Id postmodum in oppidum Imperiale commutatum. Miliare ab eo loco Monasterium Schutteren fundauit, ut in eo loco tanquam celeberrima schola Christianorum iuuentus institueretur, quo commodius postea Ecclesiæ instituere, & rebus præesse possent. Sic uite ille pietate & sanctitate illustris, eam partem Germaniæ excoluit, atque moriens magnum desiderium sui reliquit.

Monst. lib. 3.